PETRUS COMESTOR

12. Jh.

Seite 72r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ram. et obtulit eis legem suam. quam cum re-
cipere nollent. uenit ad iudeos in mon-
te sina cum multis milibus angelorum. datis be-
nedictionibus singulis tribubus. ascendit mo-
yses super nebo. usque in uerticem ipsius, qui dicitur phas-
ga. et ostendit ei dominus omnem terram promissio-
nis. usque ad mare nouissimum. et partem au-
stralem. et latitudinem campi iericho. que
alio nomine dicta est ciuitas palmarum.
usque segor. mortuusque est ibi moyses in terra
moab domino iubente. et sepeliuit eum dominus in
ualle terre moab. et non cognouit homo se-
pulcrum eius usque in hodiernum diem. quod ideo factum
autumant hebrei. ne ipsi moysen pro deo co-
lerent. quia proni erant ad idolatriam. Moy-
ses .c.xx. annorum erat quando mortuus est. nec obscu-
ratus est oculus eius. nec dentes eius mo-
ti sunt. et fleuerunt eum filii israel .xxx. diebus. et non
surrexit ultra propheta in israel. sicut moyses.
quem nosset dominus facie ad faciem. id est adeo fa-
miliariter. hoc capitulum finale. ut fertur.
apposuit hesdras. sicut ab illo loco. ascendit
moyses. usque ad hunc. fertur iosue apposuisse.

Explicit Liber deuteronomii.
Incipit Liber Josue.

LIBER iosue a nomine auctoris
censetur. qui et ihesus dictus est. Nam iosue et
ihesus idem nomen est. Cognominatur etiam a patre
ihesus naue. uel iosue bennum. id est filius naue. uel
filius nun. quod idem est. Cognominatur autem sic.
ad differentiam ihesu filii syrac. pronepotis ihesu
magni sacerdotis. qui scripsit ecclesiasticum. Et
nota quod secundum hebreos hic incipit ordo ueteris
testamenti secundus. qui distinguunt ueteris testa-
mentum in tres ordines. Primum uocant
legem. secundum prophetas. tertium agiographa. In
lege ponunt .v. libros moysi. in prophetis
.viii. iosue. iudicum. samuel. malachim.
ysaiam. ieremiam. ezechielem. .xii. prophetas.
In agiographis ponunt .viii. libros ue-
teris testamenti. que supersunt. hii dicuntur agiographa

id est sancta scripta. quod nomen commune est omnibus sacre
scripture libris. Et quia hii nomen non habuerunt
eminentiam pre ceteris. sed quia agnominarentur
communi nomine contenti sunt. sicut hoc nomen
confessorum. generale est omnium sanctorum. tamen quidam illorum
sed eminentiam aliquam quam habent. aliis nominibus cen-
sentur. Vnde alii apostoli. alii martires. et huiusmodi.
Jn hunc modum ultimus ordo angelorum. commu-
ni nomine omnium nuncupatur. Origenes autem
secundum grecos. in primo ordine .vii. ponit libros.
addens pentateuco. iosue. iudicum. et uocat
ordinem illum eptaticum. ab epta quod est .vii. et
theucos quod est uolumen. in quocumque autem ordi-
ne sit liber hic. historia non mutatur. ¶ Factum
est ergo post mortem moysi. et quiescente luctu populi
pro eo. locutus est dominus ad iosue filium nun. Moyses
seruus meus mortuus est. surge et transi iorda-
nem hunc. tu et omnis populus tecum. sicut fui cum moyse
ero et tecum. Et eadem que moysi promiserat.
et fere eisdem uerbis. promisit ei. et eosdem terminos
terre promissionis descripsit. Et nota quod cum dixit
moyses mortuus est. sigillauit errorem quo-
rundam dicentium. moysen raptum esse cum he-
lia et enoch. quia nullum uestigium mortis
eius relictum est. Quod uero addidit seruus meus.
destruit aliorum errorem dicentium. moysen
dampnatum eternaliter. propter aquas contradictio-
nis. Quod uero dixit surge. locutio est. et non sensus.
non enim credendus est sedisse uel iacuisse. cum
loqueretur ei dominus. Tunc precepit iosue populo per
precones. preparate uobis cibaria. quoniam post diem
tertium transibitis iordanem. quod de cibariis
aliis a manna intelligendum est. quod in tertium
diem reseruari non poterat. hoc de humano
consilio dixit iosue. neque enim transierunt
iordanem. usque in septimum diem. Exploratores
enim quos tunc misit. per triduum morati sunt. post redi-
tum quorum. triduo expectauit populus dimi-
nutionem aquarum. et preparauit sibi ciba-
ria. iuxta mandatum iosue. Sed mistice dicens
uitat augustinus errare iosue. ne deinceps

hic